

Joseph Hebræus, & Sixtus Senensis, t. 1. lib. 2. f. 195., majori vero similitudine enunciant Pilatum Lugduni in Galliis natum, & Viennæ in Delphinatu mortuum.

Certum est, ex Scriptoribus Gallis quosdam, ut ab se Pilatum removerent, Italum nominasse. Videatur Vincentius Bellovacensis lib. 7. spec. hist. c. 4. Et cum asseruerint quidem, descendisse Pilatum a Pontio, Aprutinatorum Duce; qui Romanos ad furcas caudinas devicerat, non absimile est, quod iidem scripserint quoque, ex Aprutio fuisse. Similitudo deinde nominis Aprutii, & Brutii, apud Sciolos effecit, ut quem ex Aprutio legebant, Brutium crederent. Nec facile asserimus, an hoc evenerit ex Legentium imperitia, an ex hallucinatione, an potius ex livore in gentem nostram, & nationem.

Post Pilati Patriam examine discussam, Militum, & Licitorum, qui sub Pilato in Judæa erant, nativitatem, & regionem, expendimus. Legionarios Milites, & Lictores, qui sub Præfectis essent, a Romano Senatu in Provincias missos, Scriptores communi calculo affirmant; illi ut præfidiarii Provinciarum fines custodirent, isti ut in infligendis pœnis delinquentibus suam operam exhiberent. Unaquæque Legio ex turmis Peditum, & Equitum, constabat; turma Peditum in Cohortes dividebatur, turma vero Equitum in Decurias. Cohors ex Manipulis, Manipulus ex Centuriis, componebatur; & Centuria centum continebat milites, quorum capiti Centurio nomen erat. Alii aliter sentiunt, asserentes nimirum, Legionem ex decem cohortibus constasse, cohortem ex quinquaginta manipulis, manipulum ex viginti quinque militibus. Centuriones, quorum unicuique centum milites parebant, sub Tri-  
bu-